



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput VI. Lucius III. a Nonhebergensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

quæst. 2. Et hæc compositio, seu poena appellatur *Were*, seu *Würgildum*, in *cap. omnes* 17. *quæst.* 4. id est pretium, quo damnum appetitatum fuerit, ut exprimitur *lib. 4. capitul. capit. 13. 15. & 18.* Jure Canonico in incensores statuta est excommunicatio; eâ tamen differentiâ adjectâ inter incendiarios rerum Ecclesiarum, & aliarum rerum, quod illorum absolutio reservata est Romano Pontifici, ex præfenti textu, & *cap. tua nos*, de *sent. excom.* illorum verò tantum Episcopo, *cap. si quis membrorum*, cum sequenti, 23. *quæst. ult. cap. nuper*, de *sent. excom.* Et licet nonnulli asseruerint, sententiam hanc excommunicationis incurri ipso jure, in *cap. si quis membrum*, *cap. pessimam* 23. *quæst. 8. cap. tua nos*, de *sent. excom.* tamen contrarium, immò incendiarium non esse ipso jure excommunicatum, sed excommunicandum docuerunt ex Innocent. III. apud Sirletum fol. 275. ibi: *Sicut ex parte tua nostro fuit Apostolatus reservatum, prædecessores nostri felicitis recordationis Clemens & Cælestinus, &*

*devotionem tuam, & gentis tibi subiecte duritiam attendentes, ut absolvere, ac judicare posses incendiarios in tua diœcesi constitutos fraternitati tue de beniguitate Sedis Apostolicæ indulserunt. Nos igitur tibi, quem inter fratres, & Coepiscopos nostros sincera diligimus in Domino charitate, abundantiorē deferre volentes honorem, & illud nihilominus attendentes, quod ex hoc vita hominum facilius corrigatur, ad exemplar eorundem prædecessorum nostrorum potestatem incendiarios tue diœcesis absolvendi devotioni tue auctoritate præsentium indulgemus, nisi forte tantus sit aliquorum excessus, ut eos oporteat ad Sedem Apostolicam destinari. Nulli ergo, &c. Datum Later. XI. Kal. Martii. Suarez de *cenfur. disput. 22. sect. 2. num. 19.* Barb. de *potest. Episcop. alleg. 5. num. 89.* Castropalao *disput. 3. punct. 2. 4. nu. 5.* Gibalinus in *synopsi cenfur. verbo incendiarius*, Murga *tom. 2. disquisition. disquisit. 20. dub. 19.**

CAPUT VI.

Lucius III. • Nonhebergensi Episcopo.

Cum causam, quæ inter E. militem latorem præsentium, & uxorem ejus vertitur, tuæ commississemus experientiæ terminandam: E. miles^b repetens, mulierem legitime sibi nupsisse, per probationes canonicas se constanter asserit probaturum. Fœmina quoque propoluit, quod dominorum, & parentum suorum suggestione alteri viro tradita, ab illo militis amore divertit, qui à parentibus prius rapuit eam: illa tamen volente, ut dicitur, & postmodum prius quam eam cognosceret, desponsavit: demùm inclusa est in monasterio monialium, ubi etiam detinetur. Unde quoniam super his prudentia tua Sedem duxit Apostolicam consulendam, significatione tibi præsentium respondemus, quod cum ibi raptus dicitur admitti, ubi nihil antè de nuptiis agitur, iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes forsitan^c reclamarent. Præterea cum post matrimonium carnis commixtione perfectum, teste Apostolo, uxor sui corporis potestatem non habeat sed maritus, & e converso; si præcessisse matrimonium, vel ex probationibus viri canonicis, vel ex mulieris confessione claruerit, postmodum sine^d assensu viri non potuit femina monasterium ingredi, aut aliter continentiam profiteri. Nec ergo pro eo, quod post matrimonium consummatum rapta per vim de monasterio fuerit, ejus poterit consortium declinare, dummodo probari nequeat virum, ut mulier profiteretur, continentiam^e assensisse.

NOTÆ.

cap. 1. de ordin. cognit.

^c *Reclamarent.*) Quorum consensus desideratur de jure Canonico, non tamen adeo præcisè, ut absque eo matrimonium non consistat, ut probavi in *cap. 1. de despons. impub.* & pro hujus textus expositione notavit Basilius *lib. 1. & 2. de matrim. cap. 1. num. 1.*

^d *Sine assensu viri.*) Juxta tradita in *cap. conjugatus, de convers. coniug.*

^e *Assensisse.*) Quia tunc cum ex mutuo consensu habitum religiosum suscepisset, non poterat eam repetere.

1. ^a *Nonhebergensi.*) Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* Post Concil. verò Lateran. *cap. 5. part. 24.* Nonhebergensi legitur: in hac sexta collectione habetur *Burgeni*; sed credo legendum esse *Neubergensi*, qui Episcopatus est in Germania, & ejus Ecclesiam his temporibus regebat Utho secundus, ut refert Bucelinus *tom. 1. Germania, part. 2. fol. 41.*

^b *Repetens.*) Et vendicans, juxta tradita in